



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Disputatio XLII. De convenientia & neceßitate Incarnationis ex parte Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

effectum posse produci, ergo. Ad solutionem nota, visâ causâ non semper videri omnes ejus effectus; sic enim beati, licet videant omnipotentiam divinam sub conceptu omnipotentia, non tamen inde cognoscunt omnes res possibiles, nisi quasi in confuso; quamvis enim clarè videant illam dicere ordinem ad res omnes sigillatim, & in particulari, non tamen ipsi vident res illas sigillatim, & in particulari: sicut qui dicit *omnis homo existens conservatur à Deo*, cognoscit quidem Deum in particulari respicere distinctè, & applicare concursum ad omnes homines in particulari, ipse tamen omnes in particulari distinctè non cognoscit.

X Hinc ergo respondetur ad argumentum, non enim est necessarium, ut visâ causâ videantur om-

nes effectus ad quos dicit ordinem, sed plures vel pauciores prout visio fuerit magis vel minus universalis, & latè patens; cum ergo omnis visio debita Angelo naturaliter, sit naturalis, non videtur causam ullam prout elevari potest ad effectum supernaturalem, nisi ad summum generali quadam & confusâ ratione, ut nimirum cognoscat verosimile esse posse Deum, qui habet infinitam vim agendi, elevari causas naturales ad effectus aliquos supra naturales earum vires & exigentiam, hoc autem potius provenit ex cognitione Dei, quàm rerum creaturarum. Ac proinde ut Angelus etiam comprehendat naturam humanam, saltem comprehensione vulgari, non requiritur ut cognoscat unionem hypostaticam, & effectus ordinis supernaturalis.

*Omni visio Angelo naturaliter debita est naturalis, si quæ non cognoscit causam clarè in ordine ad effectus supernaturales.*

*Confusè tantum noscitur hujusmodi effectus*

## DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

### De convenientia & necessitate Incarnationis ex parte Dei.

VARIIS modis se Deus creaturis communicat, primò esse singulis, naturalésque perfectiones veluti scintillas quasdam infinitarum, quas in se continet, perfectionum per creationem tribuens. Deinde gratiam nobis in hac vitâ, cœlestémque beatitudinem in sequente conferens. Præterea miro hoc & ineffabili nexu nostræ se natura univit, Deusq; in se immortalis, in eâ quam assumpsit carne mortalis fieri voluit, nostrarumque miseriarum particeps. Tandem corpus suum ac sanguinem in sacro-sancta Eucharistiâ velut perpetuam summi sui in nos amoris tesseram reliquit. Ad hæc proinde alludit Ecclesia dum dicit: Se nascens dedit focium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. In hac ergo Disputatione quam tum Deo, tum nobis, tum universo conveniens fuerit hæc ejus per Incarnationem communicatio sui declarabimus.

#### SECTIO PRIMA.

Premittuntur quedam circa convenientiam, & necessitatem Incarnationis.

conveniens fuit ut summo modo se communicaret, qui ex omnibus modis quibus se ad extra liberè communicat est Incarnatio. Deinde quia convenientissimum est ut per visibilia monstrarentur invisibilia Dei, sed teste sancto Damasceno libro 3. Orthod. Fidei, cap. 1. in Incarnatione maximè elucet Bonitas, Sapientia, Justitia & Potentia Dei, ergo.

*Per Incarnationem maximè elucet divina attributa.*

Non Deo autem tantum, sed nature etiam assumptæ conveniens fuit hæc Verbi Incarnatio, diverso tamen modo; dicitur enim conveniens aliquid dupliciter, vel quia est alteri commodum, vel consentaneum virtuti ejus & propensioni: Incarnatio.

II. Humana etiam natura conveniens fuit Incarnatio.

Primo

*Respondetur, Visâ causâ non necessarîo cognoscitur clarè omnes ejus effectus.*

I. Ex variis titulis divini Verbi Incarnatio fuit Deo convenientissima, num est summè sui communicativum, ac proinde



MAXIME DEO convenientem fuisse Divini Verbi Incarnationem affirmat Doctor Angelicus hic, q. 1. art. primo: Cum enim bonum sit communicativum sui, summum bonum est summè sui communicativum, ac proinde

Tom. II.

Primo modo est conveniens hoc mysterium humanitati, cui, quot & quanta inde provenerint commoda tractatus hujus decursu videbimus: Secundo solum modo conveniens fuit Deo cui nihil esse commodum potest, vel incommodum.

III.

Non est peculiaris convenientia, ut plures Personæ divine incarnentur.

Non tamen fuit peculiaris convenientia (licet nulla in eo esset inconvenientia) ut duæ vel tres personæ hypostaticè unirentur variis naturis, tum quia non magis simpliciter ostenderentur perfectiones divinæ, & quasi intensivè, sed solum materialiter, & extensivè, tum etiam quia ad æstimationem & admirationem hujus mysterii conveniens fuit ut esset singulare & unicum.

IV.

Universo etiam longè convenientissima fuit Incarnatio.

Tandem convenientissimum etiam fuit hoc mysterium ex parte totius Universi, tum ob peculiarem illam cum creatore suo communicationem, quam per hanc unionem accepit, undò ait Sanctus Augustinus: *Vt familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudinem hominis Deus apparuit*, tum etiam quia honorificum fuit humano generi ut homo aliquis esset fons totius sanctitatis & gratiæ, donorumque omnium cœlestium, tum denique & præcipuè ut Universum hoc haberet caput aliquod, quod cum fuerit homo potius, quam Angelus, magis inde commendatur amor Dei in Universum; cum enim Angeli per hoc subdantur homini, constat istud non naturâ fieri, sed gratiâ, quæ & alia optimè declarat S. Thomas hic, quæst. 1. art. 2. corpore.

V.

Fueritne hoc mysterium humani generis reparationi necessarium.

Hoc ergo posito, inquirimus utrum ita conveniens fuerit hoc mysterium, ut etiam fuerit necessarium, ita nimirum ut sine eo restaurari humanum genus non posset. Sanctus Thomas loco proximè citato negat ita fuisse simpliciter necessariam Incarnationem ad humani generis reparationem, ut alio modo fieri non potuerit: quæ etiam est communis sententia Theologorum; tenet Magister in 3. Disp. 20. Sanctus Bonaventura, Scotus, Halensis, Durandus, & alii, qui videri poterunt in Suario hic, disp. 4. Sect. 2. qui ita certam ait esse hanc sententiam, ut sine temeritate, & Fidei incommodo negari non possit.

VI.

Aliis modis potuisset Deus reparare humanum genus.

Ratio est: Potuit namque Deus vel gratis condonare offensam illam, cum sit supremus omnium Dominus, vel levem aliquam, & improporcionatam acceptare satisfactionem alicujus puræ creaturæ. Unde, ut alios Patres omittam, Sanctus Augustinus lib. de Agone Christi, c. II. *Sunt, inquit, stulti, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.*

VII.

Maldè aliqui affirmant Incarnationem Deo fuisse simpliciter necessariam.

Quare à fortiori rejiciendus est Raymundus Lullius, qui necessariam omnino esse aiebat Incarnationem Filii Dei, alioqui, inquit, Deus non fuisset perfectus artifex, ad quem spectat ut illius opera sint perfecta. At sanè quamvis verissimum sit Deum esse perfectissimum artificem, non tamen hinc inferitur ipsi ulla necessitas simpliciter in operationibus ad extra: unde licet conveniens fuit, & ut loquitur Sanctus Thomas, necessarium secundum quid, Deum assumere naturam humanam ob pulchritudinem Universi, & alias rationes, non tamen fuit necessarium simpliciter, alioqui mysterium Incarnationis non fuisset opus misericordiæ, quod tamen passim testantur Scripturæ: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joannis 3. & Sanctus Paulus ad Ephes. 2. *Deus, qui dives in misericordiâ propter nimiam suam charitatem, qua*

Sequeretur Verbi Incarnationem non fuisse opus misericordiæ.

dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, &c.

Dum ergo nonnulli ex Sanctis Patribus, ut Sanctus Athanasius lib. 1. de Incarnatione Verbi, dicere videntur, non potuisse Deum non redimere hominem, neque hoc sine justâ satisfactione præstare, ad quam requiritur Incarnatio, intelligi possunt primò de necessitate immutabilitatis, nempe supposito quòd Deus ita ordinaverit, quo modo Sanctum Anselmum explicant Sanctus Bonaventura, & Halensis. Imò ipsemet S. Anselmus hoc videtur insinuare loco citato, dum ait in Deum non cadere alium necessitatis modum, quàm ordinationis suæ: unde etiam explicans locum illum ad Romanos 5. v. 8. *Commendat Deus Charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, ait innumerabiles alias vias habuisse Deum hominem redimendi. Vel secundò dici potest vocasse ipsum hunc modum necessarium ad melius esse, id est, convenientissimum, vel tertio necessariam fuisse Incarnationem ad perfectam satisfactionem.

Sanctus verò Athanasius dum dicit indecens fore, si Deus hominem non redimeret, dicit fore indecens non simpliciter, sed solum secundum quid & respectivè, nempe respectu redemptionis, in qua tanta apparet decencia respectu Dei, tum hominum, ut contrarium nobis videatur respectu hujus aliquo modo indecorum quasi, & indecens. His ergo omisissis inquirendum de necessitate Incarnationis absolutè & sine respectu ad lapsum hominis.

## SECTIO SECUNDA.

### Sine necessaria Deo Incarnatio.

**D**IFFICULTAS præcipuè defumitur ex Sancto Dionysio cap. 4. de divinis nominibus, dum ait: *Bonum est communicativum sui*, ergo infinitum bonum infinite communicativum, ergo debuit Deus summo modo se communicare, sed hic modus est per Incarnationem, ergo. Respondeo cum Vasquez in expositione articuli primi sensum hujus dicti non esse ipso facto quòd aliquid bonum seu perfectum sit, statim esse communicativum sui, Angelus enim ens perfectum est, & tamen non se hoc modo communicat, nec alium Angelum producit, sicut nec aurum producit aurum, aut ferrum ferrum.

Sensus itaque illius dicti est, quando res aliqua se communicat, hoc fieri ratione bonitatis & perfectionis, quicum communicatio habet peculiarem proportionem. Licet ergo omne bonum non sit communicativum sui, ubi tamen aliquid se communicat, hoc fit ratione bonitatis & perfectionis, bonitas ergo non arguit communicabilitatem, sed communicabilitas bonitatem, ac proinde licet conveniens fuerit bonitati Dei, quando se communicavit, non tamen hoc facit necessariò ad extra, sed liberè.

Urgebis: Ex bonitate sequitur inclinatio, sed quò major est inclinatio ad aliquid, eò minor est indifferentia, ergo ubi inclinatio infinita, nulla indifferentia, nec libertas, ergo cum Deus habuerit infinitam inclinationem ad Incarnationem, nullam habuit libertatem ad oppositum.

Ad solutionem

VIII. Quo sensu nonnulli ex Sanctis Patribus videntur insinuare Incarnationem fuisse Deo necessariam.

IX. Quæ ratio S. Athanasii asserti indecens fore, si Deus hominem non redimeret.

I. Ratio dabitur, quòd bonum est communicativum sui.

Angelus, quamvis quid bonum, non est communicativus sui.

II. Quo sensu illud intelligendum sit, bonum est communicativum sui.

III. Dices, quò major inclinatio ad aliquid, eò minor est indifferentia.

IV. Ad solutionem notandum, inclinationem duplicem esse, innatam & elicita: Inclinatione elicitata vel est actus voluntatis, quo quis aliquid appetit; vel, ut alii volunt, cognitio, quae proponendo objectum inclinat voluntatem ad illius prosecutionem. Inclinatione verò innata aliud nihil est, quam ipsa cujusque rei entitas, seu potentia rem aliquam efficiendi. Haec verò inclinatio considerari potest vel formaliter, vel materialiter: habet exempli gratia ignis inclinationem innatam ad suam sphaeram, habet Angelus ad eandem sphaeram, cum utrique insit vis se illic collocaendi, inclinatio Angeli est materialiter major & perfectior, ignis formaliter, utpote qui ad suam perfectionem naturalem indiget praesentia in sua sphaera tanquam re sibi necessaria, sicut lapis indiget centro; Angelus autem sphaera illa non indiget.

V. Ad argumentum itaque dico, licet inclinatio Dei ad Incarnationem sit materialiter infinita, utpote ipsa entitas Dei, & potentia mysterium hoc efficiendi, formaliter tamen non est infinita, imò formaliter dici aliquo modo potest major inclinatio innata ignis ad suam sphaeram, quam Dei ad Incarnationem; cum enim ut diximus, formalis inclinatio non penes naturalem entitatem rei, sed indigentiam praecipue desumenda sit, & Deus Incarnatione, aut alia quavis re ad perfectionem suam non indigeat, consequenter non erit Dei inclinatio ad illam infinita formaliter.

VI. Idem dicendum de inclinatione elicitata, nempe cognitione, qua Deus sibi representat Incarnationem; licet enim entitativè & materialiter sit infinita, non tamen in ratione inclinationis, & formaliter, quia non est hoc objectum Deo ad suam gloriam obtinendam necessarium, imò ad nullum omnino objectum externum habet Deus inclinationem efficacem infinitam quoad illius existentiam (quicquid sit de inefficaci complacentia quoad rem in se) imò sub hac ratione magis rapit cognitio finita boni infiniti, quam infinita finiti.

VII. Ad quod notandum, tripliciter distingui posse amorem rerum creatarum in Deo, primò entitativè, & hoc modo amor omnium objectorum est infinitus & aequalis, sicut & odium, aequali-

tate tenente ex parte actus, non objectorum, cum amor & odium Dei sint ipsa ejus entitas. Secundò naturaliter, seu quoad complacentiam, & hic distinguitur secundum diversitatem objectorum. Tertio appreciativè, seu ex parte modi amandi objecta, praefereudo scilicet unum alteri, & hac ratione ad nullum objectum creatum habet Deus inclinationem necessariam & infinitam, estque aequalis hoc sensu amor ipsius & odium respectu diversorum objectorum, imò probabile est aliquando majorem habere Deum inclinationem ad objecta in se minus perfecta, ut Osee 6. & Matthaei 9. Misericordiam volo & non sacrificium: & magis spectat ad Deum, utposito hoc rerum statu, det hominibus usum liberi arbitrii, ac poenas iis decernat & praemia, quam ut uniat se hypostaticè humanae naturae, primum enim, exigitur aliquo modo ab ipso, non secundum debita autem praeferi debent gratuitis, & justitia liberalitati, neutrum tamen facit necessarium, quia simpliciter carere potest utroque: & declaratur ulterius, quia cum amor appreciativus sit amor praefereus unum alteri, licet inclinetur Deus in haec objecta, suam tamen libertatem appreciativè praefert omnibus.

Ratio demum à priori est, quia Deus externa haec vult & amat propter seipsum, tanquam propter finem, in tantum autem amatur efficaciter, & intenditur medium, in quantum ad finem est necessarium, cum ergo Deus sit omnino independens à rebus omnibus creatis, nullam necessarium producit. Praeterea, quòd Incarnationem in particulari non necessario velit, reddi ulterius causa potest, quia tunc necessitat bonum aliquod ad efficacem sui prosecutionem, quando nulla in eo apparet ratio mali, quae est ratio cur Deus rapiat voluntates beatorum ad se necessario amandum, quia nimirum est bonum sine ulla ratione mali, & in creatis motus primò primi, & indeliberati actus etiam efficaces circa bonum creatum in hominibus sunt necessarii, quia nullam in objecto advertunt rationem mali, Deus autem perfectissimè res cognoscens ita videt esse bonam Incarnationem, ut aliqua ratio mali eam comitetur, nempe peccata hominum, quae inde occasionem essent habitura, & id genus alia, quae ratio in omni alia re creatà à fortiori urget.

placiter distinguuntur potest entitativè, naturaliter, & appreciativè.

Major intenditur videtur aliquo modo amor Dei ad objecta in se minus perfecta.

VIII. Deus externa omnia vult propter seipsum.

Peculiaris alia ratio cur Deus non velit necessario Incarnationem.

